

nam et aliena facta potest prædicere, atque præscire, sed ait potens est et facere, ac per hoc non aliena facta sed sua. » Sed promittit propriam determinationem, et consensum voluntatis meæ, etiam ut liberum, et ut a me, ut patet in promissione fidei: ergo illum non solum præscit et supponit, sed causat; ergo ante illum determinatum est efficax est decretum quod id facit.

XXII. Ultimo, extant in hoc assertiones Augustini quæ prorsus convincunt efficaciam hanc intrinsecam, et ex natura rei convenientem decreto divino, quarum plurimas inter hæc theologica argumenta deduximus: alia supra ostendendo D. Thomam ex Augustino sumpsisse hanc doctrinam, et quomodo ipse posuerit efficaces vires nobis præstari a Deo ad hoc ut faciamus, et sic efficaciam ejus non a nobis expectare, sed nobis præbere. Nunc breviter insinuabo Augustinum non recessisse ab eo quod S. Hieronymus unico verbo resolvit agens contra Pelagianos in epistola ad Ctesiphonem, c. iii: « Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum: dicit enim idem Apostolus: Deus est qui operatur in nobis, et velle et perficere. » Hic ego inquiero: Actus liber, sicut dicit Vasquez disputatione illa xcix, e. vii, si non respicit causam primam, sed solum voluntatem creatam, nonne meus est? Velle ergo et currere, ut liberi actus, aliquid meum est: imo nihil tam meum, quam velle in quantum liberum: sed velle illud in quantum meum, non sine Dei auxilio est meum: ergo in quantum liberum, (idem enim est liberum et meum) Dei auxilio eget, ut sit meum: ergo non solum respicit auxilium ut cooperativum, et simultaneum sibi, sed ut causatum sui, et antecedens se. Patet

consequentialia, quia per auxilium simultaneum velle illud non fit meum, sed supponitur meum, et sic simul cum auxilio influit: non enim est simul cum alio nisi supponatur esse in se: nam si est ab alio, et ut sit in se, dependet ab alio, jam non simul cum illo, sed ab illo est, et consequenter illud est prius, quia ab illo istud est, si ergo ut sit simul cum auxilio, supponitur quod sit in se, et non ab auxilio: ergo jam est meum sine auxilio, ut simul influat cum auxilio, quod contradicit Hieronymo: licet enim ut influat in actum non sine auxilio simultaneo influat, tamen ut sit meum, id est, ut sit in se talis voluntio, sine auxilio simultaneo est, quia ut simultaneo influat, supponitur esse in se, et esse meum. Hieronymus autem non dicit quod sine auxilio Dei non influet, aut non operabitur illud velle, sed quod non erit meum, id est, non existet in se, seu non exiet a me, exiendo enim est meum. Unde etiam in quantum meum, et ut liberum ad causam primam referendum est, quod Vasquez negat.

XXIII. Hanc doctrinam perpetuo confirmavit et docuit Augustinus ponens quod Deus intra voluntatem operatur, ut ex nolente volentem reddat, cum autem non transferatur voluntas de nolente in volentem, nisi per determinationem, et consensum suum, et per illud liberum quod est meum, si hoc Deus operatur intra cor, utique ex se efficaciam habet, non ex meo consensu expectat, quia ipsam determinationem mei consensus causat. Constat hoc ex Augustino libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. xix: « Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis ab illo, qui non vivit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut

volentes ex nolentibus fiant. » Et e. xx: « Deus cor regis occultissima et efficacissima potestate convertit et transtulit ab indignatione in lenitatem. » Vide quomodo vocat potestatem Dei efficacissimam, quod utique non haberet, si in ratione potestatis est solum indifferentissima, et solum offert concursum indifferentem et indeterminatum, redditur autem efficax solum denominatione extrinseca ab actu consensus, quem præscit, non a potestate qua causat. Jam hunc locum supra pondaravimus, sicut et illum ex libro de gratia et libero arbitrio, ubi iterum hanc efficaciam tribuit Augustinus viribus datis a Deo voluntati, ut faciat, non a consensu nostro expectare dicit: « Ipse, inquit, facit ut faciamus, præbendo efficacissimas vires voluntati. » Si præbet efficacissimas, quomodo ipsa expectat, et præscientia sua supponit, quod efficaces reddantur? Alia loca videantur supra et in tota disputatione tertia, ea enim, repeterem molestissimum esset; præsertim cum sæpe dicat operari Deum intus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, ut libro de gratia et libero arbitrio, c. xxi, et alibi sæpe.

XXIV. Nec dici potest quod sensus Augustini est, operari Deum hunc motum, et hanc inclinationem mediante motione morali de se indifferenti, et objecti excitatione seu propositione. Contra enim est, tum quia dicit Deum intus in corde operari, id est, in voluntate, propositio autem objecti, seu motio moralis, intus in voluntate non fit, sed ab intellectu, qui est extra voluntatem; tum quia motio moralis innititur ipsi bonitati objecti, cuius virtute fit, Deus autem solum se habebit, ut proponens illud magis vel minus vivaciter; sed tamen non nisi mediante bonitate objecti movet, nec magis movet, quam ipsa bonitas

alliciat. At Augustinus dicit, inclinationem hanc voluntatis fieri ab ipsa omnipotentissima Dei potestate: non ergo solum mediante bonitate objecti, quæ bonitas non est potestas omnipotens, sed limitata allicientia. Dicit autem Augustinus libro de correptione et gratia, c. xiv, quod: « Sine dubio habet Deus humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem: » ergo inclinatio cordis in vi potestatis omnipotentissimæ fit, non sola allicientia finiti objecti, quæ omnipotentem potestatem non habet, sed finitæ allicientiæ est. Tum denique, quia, ut sæpe vidimus, præsertim disputatione tertia hanc motionem moralem media illustratione et propositione objecti Pelagius non negabat, ut constat ex libro de gratia Christi, capite x, et tamen eam non sufficere docet Augustinus.

ARTICULUS VI.

Solvuntur argumenta contraria.

Quæ opponuntur contra efficaciam decretorum, fere sunt eadem, quæ adstruuntur pro scientia media; hæc enim duo invicem se consequuntur, ut negata efficacia intrinseca decreti divini, scientia media debeat poni, ut Deus succurratur in directione infallibili suæ providentiae. Tamen breviter dicimus illa reduci ad præcipua quatuor capita, unde omnis argumentorum vis hac parte dimanat.

Primum est, ex aliquibus auctoritatibus quibus sancti indicant Deum non prædeterminare, aut antecedere liberum nostrum arbitrium.

Secundum, et præcipuum, quia laedit libertatem, si ex se efficax et determinata est voluntas divina; nostra autem non potest eam avertere.

Tertium, quia sine tali efficacia antecedente, et applicante deesset nobis aliquod principium omnino requisitum ad operandum, et sic culpæ nostræ tribuendum non est, si sine ipso non operamur bonum.

Quartum, ex concursu ad actum peccati ex parte suæ entitatis, ad quem nullo modo potest efficaciter Deus impellere, et movere.

ARGUMENTA AB AUCTORITATE.

I. Primo, arguitur auctoritate Conciliorum, quæ dicunt efficaciam hanc tales esse quod ei potest resisti, et Scripturæ, quæ significat Deum attrahendo, et pulsando, et immutando trahere cor, quæ est motio indifferens. Concilia sunt primo Senonense in decretis fidei, decreto xv, ubi loquens de libero arbitrio, inquit: « Juxta sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiae prævenientis auxilio suffulta, et interiori et occulto secretioris inspirationis afflato contacta sese convertat in Deum, Deo appropinquet, et ad veram illum gratiam se præpararet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, quo non stet ad ostium, et pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, et coenabit cum illo. Nec denique tales sit hujusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluerunt. Frustra certe Stephanus Judæos duræ cervicis, et incircumcis auribus argueret, qui semper Spiritui sancto resisterent. Frustra

Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguherent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. » Ita Concilium: Ex cujus verbis fit validum argumentum: Quia Concilium loquitur de auxilio efficaci, de illo enim loquitur, per quod haeretici dicebant tolli libertatem nostram, ipsi autem per auxilium ex se efficax tolli dicunt: sed hoc dicit tale esse quod ei resisti potest: ergo non habet efficaciam ab intrinseco, sed ab extrinseco, si enim ab intrinseco esset efficax, ei resisti non posset.

II. Et confirmatur, quia illa exempla quæ afferit Concilium ex Scriptura, sunt talia quod eis de facto aliqui resisterunt: de facto enim Judæi noluerunt esse sub Christo, et duræ cervicis fuerunt, etc. ergo sentit Concilium quod auxilium efficax, de quo loquitur, est tale, quod ei aliquando de facto, et in sensu composito resistitur: ergo ab extrinseco est efficax, et non ex sua natura, quia stat amittere hanc efficaciam, et ei resisti de facto.

III. Deinde formatur argumentum ex Concilio Tridentino sess. vi, c. v et canone iv. In quibus locis est certum loqui Concilium Tridentinum de gratia efficaci, dum dicit: « Exordium justificationis sumi a gratia præveniente, id est, a vocatione qua Deus nos vocat ut cooperemur assentiendo libere et disponamur ad ipsam justificationem; » quod totum pertinet ad efficacem motionem, et gratiam, sine qua non disponimur, non assentimur, non convertimur, licet possimus converti per solum sufficiens auxilium. Concilium autem non definit quod possumus per illum gratiam disponi et converti, sed quod disponimur, et convertimur: loquitur ergo de gratia efficaci. Imo circa hanc erat totum pondus definitionis contra haereticos, qui gratiam efficacem, seu motio-

nem Dei dicebant tollere libertatem, et voluntatem nostram, vel tantum passive se habere, et ut quoddam inanime, vel solum manere spontaneam, non liberam. Definitio ergo contra illos de gratia efficaci procedere debet. De illa autem dicit Concilium quod potest eam homo abjicere, imo inde probat non se habere hominem passive, aut nihil omnino agere inspirationem illam recipiens, quia illam abjicere potest: ergo evidenter supponit Concilium quod postquam de facto recepta est in nobis illa gratia efficax, potest eam homo abjicere, eique resistere, quia non abjicitur a nobis, nisi quod in nobis receptum est; quod autem non habemus de facto quomodo abjicimus? Aut si quando de facto recepta est, non potest abjici: ergo semper quod homo operatur, non manet liber, quia nunquam operatur de facto, nisi habendo illam gratiam, et ea posita non potest abjici, et sic deficit probatio Concilii in omni operatione, quæ de facto datur. Eodem modo id probatur ex verbis canonis iv, quod: « Liberum arbitrium motum, et excitatum potest dissentiri si velit: » ergo etiam recepta motione, et excitatione efficaci (de qua sine dubio loquitur) potest dissentiri. Ergo est possibile contingere dissensum cum illa motione, quia posita illa potest adhuc dissentiri: ergo frustrari potest. Et urgetur, quia si de facto dissentiret posita illa motione, de facto conjungret dissensum cum illa, et frustraret illam; ergo si potest dissentiri posita motione, potest frustrare et conjungere dissensum cum motione; illud enim verbum potest, ad aliquem actum dicit ordinem, nec ad alium quam ad ipsum dissensum de facto.

Duplex ex cogitata est solutio isti loco Concilii.

IV. Prima innititur vulgari dis-

tinctioni de sensu diviso, et composite. Cum enim dicit Concilium quod potest abjicere inspirationem illam efficacem, et potest ei dissentiri si velit, intelligitur quod potest in sensu diviso, non in composite, id est, non potest simul conjungere efficacem illum concursum cum dissensu opposito, potest tamen cum illo retinere potentiam ad facendum dissensum, si non esset tale auxilium.

V. Secunda solutio est, quod loquitur Concilium de auxilio sufficienti pro ea parte, qua dicit posse resistere, illudque abjicere, quia loquitur de illuminatione, quæ se tenet ex parte excitationis intellectus, et propositionis objecti, quod totum pertinet ad motionem moralis in voluntatem. Motio autem moralis cum solum sit per modum allicitæ ex parte objecti, non movet infallibiliter, quia potest ei resisti; nulla enim bonitas objecti extra Deum clare visum movet infallibiliter voluntatem, sed indiget determinatione ipsius voluntatis, ut accepit et consentiat tali objecto. Et hanc solutionem tenentur admittere oppositi auctores, quia ipsi non agnoscunt aliam gratiam prævenientem, nisi per modum motionis moralis, et hæc talis est, quod ei resisti potest a voluntate. Tenentur ergo admittere quod de hac loquitur Concilium. Sed dicunt quod ista non est efficax in entitate sua, sed efficacia extrinseca desumpta ab effectu, ut de facto fit: quod non dicit Concilium. Neque enim mens Concilii est facere tales distinctiones metaphysicas de auxilio entitative, vel denominative, quæ non pertinent ad dogmata, sed loquitur simpliciter de auxilio prævenienti tam excitante quam adjuvante, imo ipso nomine efficacis non utitur, quanto minus de auxilio entitative vel denominative.

VI. Utraque tamen solutio suas patitur difficultates.

Prima quidem, quia Concilium loquitur etiam in sensu composito, ut patet tum ex ratione, tum ex inconvenienti. Ex ratione quidem, quia si in sensu composito sentiret Concilium non posse abjicere inspirationem efficacem. Nec posse dissentire, ergo posita illa, et durante in subjecto, non posset rejici, nec voluntas ei dissentire, sed quando operatur voluntas semper operatur stante decreto, quia sine ipso non potest operari: ergo semper operatur potestate ad dissidentendum, et ad abjiciendum: ergo semper operatur non libere; ex hoc enim probat Concilium contra haereticos quod operatur libere, quia potest dissentiri: si ergo quando operatur de facto cum auxilio, non potest abjicere illud, non libere operatur. Ex inconvenienti etiam patet, quia si sufficit ad libertatem quod in sensu diviso possit dissentiri, non in composito, eadem ratione dici poterit, quod homo gravissime tentatus potest sine auxilio gratiae resistere in sensu diviso, scilicet ablata tentatione, quod beatus potest visioni beatae dissentiri, et intellectus evidenti demonstrationi sibi propositae, quia in sensu diviso, si ab intellectu auferatur visio beata, aut demonstratio, seu illa non stante, tunc enim non est dubium posse ab illa resilire. Quod parvulus debilissimus potest fortissimo giganti trahenti resistere, nempe in sensu diviso, si gigantis impulsus auferatur. Quae omnia absurdissima sunt: ergo non minus absurdum est dicere quod homo in sensu diviso potest dissentiri efficaci Dei voluntati, scilicet ea non movente, et quod in sensu composito, id est, ea stante non potest. Nam etsi verum sit quod homo sedens dum sedet non potest, simul

stare, et dum operatur ex auxilio, non stat non operari; at dum invitatur ad sedendum, potest in sensu composito, id est, stante invitatione, et precibus non sedere, et sic dum offertur, daturque auxilium, potest ab operatione resilire, etsi inurbane ageret.

VII. Contra secundam solutionem instatur ex supra dictis quia certum est loqui Concilium de auxilio efficaci, non solum de sufficienti. Quae enim esset consequentia, quod si haeretici dicunt, ut Calvinistæ, motionem Dei ita esse efficacem, ut impellat voluntates nostras, et necessitet, Concilium definit contra ipsum sufficiens auxilium non tollere libertatem, sed posse illi dissentiri, efficaci omisso, in quo est tota difficultatis pugna? Certe hoc nullam habet apparentiam. Et eodem modo impugnatur, quod dicitur, Concilium solum expresse definisse quod excitanti gratiae potest resisti, scilicet illuminationi, non vero adjuvanti, quae etiam inter prævenientes gratias a Concilio numeratur. Contra enim est, quia hac ratione perperam, et diminute contra haereticos definisset Concilium posse nostram libertatem resistere vocationi excitanti, si ex alia parte tacite concedebat adjuvanti resistere non posse, ab hac enim obrueretur libertas, non a prima. Sufficit autem haeretico, quod ex una parte liberum arbitrium concidat, cui non medetur Concilium, si tantum ratione excitantis gratiae dicit non tolli libertatem, posse illi resisti. Quare licet Concilium solum expresse loquatur de motione morali excitantis gratiae, ejus tamen ratio omnem prævenientem comprehendit, et quidquid antecedit consensum nostrum, quia respectu cujuscumque motionis antecedentis, ita debet manere expedita libertas, ut possit dissentiri, possit

abjicere illam motionem, alias nihil omnino ageret, sed mere ageretur illa motione posita, cuius contrarium ibi docet Concilium. Certe ut legitur in actis ejusdem Concilii sub Paulo III, anno 1546, cum formaretur ille canon IV: « Si quis dixerit liberum arbitrium motum, et excitatum, etc. non posse dissentire si velit, » quidam ex theologis proposuit tamquam expediens ut adderetur non posse dissentire communivocationi. Concilium tamen renuit, nec quidquam innovari voluit, quia ejus mens fuit omnem vocationem, et motionem comprehendere: non ergo dici potest, quod voluit posse dissentiri excitanti motioni, non adjuvanti.

VIII. Aliae ponderationes possent fieri ex eodem Concilio, præsertim eadem sessione VI, cap. XI et XIII, quod Dei præcepta non sunt impossibilia homini, quod Deus non deest aliquibus sua gratia, nisi ipsi defuerint. Unde infertur: ergo cuilibet gratiae etiam efficaci potest homo deesse, et sic frustrari potest, et inefficax reddi. Et iterum: ergo sine illo auxilio efficaci ab intrinseco potest servare mandata, alias sine illo forent sibi impossibilia, illud autem habere, non est in manu sua.

Respondetur quod attinet ad Concilium Senonense, ejus auctoritatem nutare apud nonnullos, oœ quod fuit provinciale Concilium celebratum anno 1528, non indictum, nec confirmatum auctoritate Sedis Apostolicæ. Unde ejus auctoritas non multum roboris habet. Certe in disputationibus habitis coram summo pontifice Paulo V, in congregazione XLIP ipso præstantialiter adstante cum decem cardinalibus, et censoribus deputatis, cum hujus Concilii auctoritas pro sententia patrum societatis probata fuisset, omnino elisa est, et liquide negata, quia non

fuit per Sedem Apostolicam confirmatum, nullo in contrarium reclamante, aut quidquam objiciente, neque ex parte suæ Sanctitatis, aut cardinalium, neque ex parte censorum, neque ex parte ipsorum patrum societatis, qui objiciebant; nisi tantum dicendo, quod licet non esset approbatum, erat tamen gravissimum, et non continebat in hac parte aliud quam Concilium Tridentinum: et nihil aliud responsum fuit ad illam auctoritatem Concilii, sed petransita quasi non urgens. Quod certe magnum argumentum est, ipsum vere non fuisse confirmatum, si in prospectu Sedis Apostolicæ, in tam gravi actione, instanti parte opposita, et proferente pro se illud Concilium ad denegationem auctoritatis ejus ex defectu confirmationis Sedis Apostolicæ, admiserunt approbatum non esse. Similiter in tomo quarto Conciliorum, non repetitur hujus Concilii confirmatio. Quare ad confirmationem dogmatum ejus auctoritate nunc omissa.

IX. Secundo, respondemus Concilium illud sine dubio agnovisse internam Dei motionem intra voluntatem factam et prævenientem, seu antecedentem nostrum consensum, illis verbis: « Ut voluntas hominis misericordiae prævenientis auxilio suffulta, et interiori quodam, et occulto secretioris inspirationis afflato contacta sese convertat. » Qui afflatus tangens interiori modo et occulto ipsam voluntatem, non dicit solam morale motionem, quæ ex parte objecti propositi allicit voluntatem, sed effectivam operationem occultam intra ipsam voluntatem. Et hæc efficaciam habet ex se, non ab ipsa voluntate expectat aut supponit, quia tali afflato contacta voluntas sese convertit; non ergo expectat ejus conversationem, sed facit. Cum vero Concilium